



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

V. De scrutinio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

aut aliqui ex subditis præmissorum rebelles & inobedientes inuenti fuerint, contra tales per nos & nostros suffraganeos ad pœnas grauiores procedemus iuxta canonicas sanctiones.

ANNO
CHRISTI
1440.

III.

De consuetudine.

Consuetudines quæ grauamen ecclesiis inducere * de-^{* dino-} monstrantur, inualidas publicamus, locorum ordinariis, ^{scuntur.} vt in omnem euentum eis resistent, firmiter iniungentes.

IV.

De renuntiationibus.

Nullus ecclesiam, vel beneficium ecclesiasticum dimittere vel recipere præsumat sine sui superioris auctoritate; quod sub pœna excommunicationis vel suspensionis omnibus firmiter inhibemus.

V.

De scrutinio.

Statuimus, quod nullus ad examen per sacrorum ordinum susceptionem aliquatenus admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo sacerdoti. Et quia pauci sunt, qui sua delicta cum sequelis eorum intelligant, per districtum informatorem debet instrui ordinandus, an expediat sibi ordinari, an vero † irregularitatis alicuius prætextu ei potius sit abstinendum.

† id est, finis alicuius prauis & minus recti, & legitimi.

Item quod nullus admittatur ordinandus vel promouendus ad ordinem super vicaria, (* nisi sit perpetua vicaria) a qua non possit ad inordinatum placitum amoueri.

* hac præsententia clausula in manscriptis non habetur.

Statuimus insuper ad terrorem malefactorum, vt omnes episcopi prouinciæ Saltzburgensis, ac eorum vicarii, quando volunt & debent suis temporibus ordines celebrare, committant expresse examinadoribus clericorum ordinandorum sub anathematis interminatione, vt inter cetera perquirenda, fidei diligentia perquirant, sub obtentu honoris percipiendi a singulis ordinandis, vt si patres, aui, aut progenitores eorum, vsque ad quartam lineam ascendentem, captiuauerint, captiuatum detinuerint, occiderint, aut mutilarint temere

ANNO
CHRISTI
1420.

clericum aliquem in sacris ordinibus constitutum, & pro clerico se gerentem. Eum vero, quem in aliquo præmissorum affectum per aliquem ipsorum progenitorum vsque ad lineam memoratam inuenerint, si huiusmodi factum sit notorium, non admittant. Prælati quoque, vel eorum vices gerentes, quorum interest inuestire vel instituere præsentatos, ante inuestituram vel institutionem cum summa diligentia de his quærant: & quos tales inuenerint, nullo modo instituant ad aliquod officium vel beneficium ecclesiasticum. Examinatores insuper & prælati, ac eorum vices gerentes, qui secus in præmissis agere præsumpserint, in futurum suspensionis sententia percillantur: alias per locorum ordinarios grauiter puniendi, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum, & ab huiusmodi reatibus appareant absoluti.

VI.

De filiis presbyterorum.

Nullus illegitime natus ad aliquem sacrum ordinem, vel beneficium aut officium curam habens animarum, sine dispensatione sedis apostolicæ admittatur in aliqua ecclesia seculari. Et tales qui hæcenus sunt admissi, si de his constiterit, per eorum ordinarios repellantur. Alioqui scienter contrarium facientes per vnum mensem ab ingressu ecclesiæ nouerint se suspensos.

VII.

De officio archidiaconi.

Inhibemus episcõpis, archidiaconis, prælatis, ac eorum officialibus vniuersis sub pœna suspensionis, quam in omnes facientes contrarium promulgamus, ne subditis suis, aut eis qui litigant, seu litigauerint coram eis, aliquam eis faciant inhibitionem, seu impedimentum aliquod præstent, sub quocumque colore vel modo, publice vel occulte, quo minus causas suas appellationum, seu quascumque alias ad examen superiorum spectantes, libere possint *deferre.

*ferre.

VIII.

De officio vicarii.

Et quia ecclesiarum rectores vicariis suis adeo relin-

Concil. Tom. 29.

Q999 ij